



CAPUT II.

DE

NATVRA AC DEFINITIONE
FEVDI.

DISTINCTIO I.

*Inter feudi essentialia, naturalia,
accidentialia.*

I. Rubrum
explicatur

Tria haec, vti in omnibus contractibus, ita et in contractu feudali, bene ab inuicem separanda sunt. *Essentialia* feudi dicuntur, quae ipsam feudi naturam et formam constituunt, 1) ideoque hac salua abesse vel mutari non possunt.

*Essentialia &
naturalia
fendorum va-
riant.*

1) Vera quidem est vtique philosophandi ratio: quidquid, cogito determinationibus absolutitur vel essentialibus vel accidentalibus: sed maxime tunc nobis cauere debemus ab abusu. Feudum enim, feudalisue contractus, prouti placuerit tibi, essentialibus quoque instruitur determinationibus, naturam quasi eius constituentibus quidem, sed semper cogitare debemus: essentialia ista determinari a legibus, ideoque ista essentialia, curatius si rem consideraueris, semper erunt originetenus arbitraria. Si igitur et feudale negotium formatur a legibus, consequi videtur naturali ratione: feudi essentialia non esse nisi determinationes, quas datae leges adeo requirunt, vt sine iis feudale negotium intelligi nequeat. Inde absurdum non videbuntur: *essentialia feudi salua quidem eius natura et forma abesse non posse*, *nihiloscius tamen variare posse*. Sic essentia feudi secundum leges feudales Longobardorum saepe alia est, alia secundum leges Germanicas. Cf. e.gr. not. 8. Inde componi posse videntur lites, quas et feudistae theoretici frequentiores, rariores practici de essentialibus feudi disputant, quae usum eorum commonstrant, quae modo dixi, quae mutatis mutandis et de sic dictis feudi *naturalibus* et *accidentalibus* dicta volo. Conf. Frid. Car. de BURG Erläut. des *Lehen-Rechts*. pag. 687, 688. 1319—1339. WOL.